

/ Admodum Reverende Pater, et frater in Christo charissime.
Nescio, an plus debeam Reverentiae Vestrae ex dedicatione libri, an ex dulci commemoratione fratrum nostrorum, qui nobiscum Romae ante annos circiter sexaginta vivebant, quorum duo soli supersunt, **5** Jacobus Crucius, et Bernardinus Castorius. Sed pro dedicatione libri, et pro ipso libro ad me misso gratias maximas debeo, et ago; pro commemoratione fratrum defunctorum, quae tibi, et mihi judundissima fuit, gratias agamus Deo, qui tam bonos fratres nos habere voluit. Sed in hac re mihi felicior esse videor qui beati Aloysii Gonzagae familia-
10 ritate frui satis diu potui, adolescentis plane sanctissimi et optimi. Et quoniam Reverentia tua mihi enumeravit opera sua, quorum ego unum aut alterum solum videram, eaque enumeratio tot librorum mihi gratissima fuit; volui vicissim enumerare opuscula mea, si forte eorum nomine Reverentia Vestra scire desideret. Scripsi tomos septem.
15 In primo habentur Controversiae de Verbo Dei, de Christo, et de Christi Vicario, Romano Pontifice. In secundo habentur Controversiae de Ecclesia, et ejus partibus omnibus. In tertio habentur controversiae de Sacramentis. In quarto, Controversiae de gratia, libero arbitrio, peccato originis, justificatione, meritis, oratione, jejunio, eleemos-
20 ynis. In quinto commentaria in psalmos. In sexto conciones latinae habitae Lovanii. In septimo opuscula viginti tria, primum de scriptoribus ecclesiasticis, alterum de Translatione Imperii; tertium de indulgentiis; quartum de Romano Pontifice contra anonymum; quintum de cultu imaginum adversus falsam Parisiensem Synodum; sextum judi-
25 cium de libro concordiae Lutheranorum; septimum Apologia pro eodem libro; octavum Responsio ad librum inscriptum, Triplici nodo triplex cuneus; nonum Apologia adversus Regem Anglorum; decimum de potestate Summi Pontificis adversus Joannem Barclajum; undecimum, Responsio ad duos libellos in favorem Reipublicae Venetae; duodecimum, Respon-
30 sio ad tractatum septem Theologorum Reipublicae Venetae; tertiumdecimum adversus fratrem Paulum Ordinis Servorum; quartumdecimum, ex-

/ plicatio latina Symboli Apostolici; quintum decimum, explicatio prolixior doctrinae Christianae; sextumdecimum, institutiones linguae hebraicae; decimumseptimum, de ascensione mentis in Deum per gradus quindecim; decimum octavum, de aeterna felicitate; decimum nonum, de ⁵gemitu columbae, sive de dono lachrymarum; vigesimum, de septem verbis in cruce prolatis; vigesimum primum, de officio Principis Christiani; vigesimum secundum, de arte bene moriendi; vigesimum tertium, de officio episcopi. Haec sunt opera, quae scripsi, et typis mandari permisi. Iam vero confectus aetate, et viribus fractus, cupio me ad ¹⁰mortem praeparare. Reverentia Vestra adjuvet me sanctis precibus suis; et si prior ad Dominum perveniat, quod facile fieri poterit, cum sit me senior, facilius me Deo commendare poterit, quando erit de sua felicitate securus. Valeat Reverentia Vestra mei memor in sanctis precibus, et sacrificiis suis. Romae die 13. Julii 1620.

¹⁵ R.V.

frater in Christo

P. Joann. Marianae.

La soprascripta:

Admodum R/do Patri, P. Joanni Marianae Sacerdoti Societatis Jesu

²⁰ Arch. Vatic. Gesuiti 18 fol. 143. Brouillon autogr.

Epist. fam. CLXVII.